


05

A

1515





JOVA JIVA!
DISPUTATIO METEOROLOGICA
De
TERRÆ MOTU,

Quam
PRÆSES
M. GEORGIUS FÖRSTERUS,
Kembergâ-Saxo,

RESPONDENTE
CHRISTOPHORO MAZAR,
Hungaro,

Publico Φιλοσοφῶντων examini
submittit

Ad d. XXIII. Decembr.
Ann. M. DC. LXXIV.

IN AUDITORIO MINORI.



WITTEBERGÆ,
TYPIS JOHANNIS WILKII.



PP

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS MAXIME REVE-

RENDIS! AMPLISSIMIS atq; CLARISSIMIS, AMICIS

inter se nunquam reconciliatis.

DNO. SAMUELIPOMARIO,

SS. Th. D. & P. P. Ext. Ven. Minist. Adjuncto: nec non Ecclesia-
rum Lubecensium Superint. Vocato Gravissimo.

DN. CHRISTIANO SEELMANNO,

SS. Theol. Candidato emerito post Exilium p. n. Civitatis Sal-
zensis Saxonum Superintendente ac Scholæ iterum
Inspectore fidelissimo.

DNO. M. JACOBO RÖSER /

SS. Theol. Candidato dignis; Ducalis Aulae Quedlensis Pa-
stori spectatissimo, Consistorii Assessori celebratissimo.

*Splendore Nominis, Doctrinæ, Orthodoxiæ, passim conspicuis
Patronis ac studiorum meorum Promotoribus quâ potest
pietate observantissimis.*

Terram florentissimam eheu! Regni Pannoniæ, quanti Bellonæ & Thaidis Roma-
næ motus concusserint, convulserint, imò funditus everterint: VOS, VOS in quo-
rum salutem omni suentis vigilavit oculus, VOS inquam, qui hæc mala Duce DEO
superastis, symbola estis loquentia, PATRONI devotâ mente suspiciendi. In quam
nomine velut tergemina sidera, ex vicino Cælo Germaniæ translata, pro Cathedris
& Exedris splendiidistis, ac Orthodoxiam generosâ mente longè lateq; propagastis. Sed (ô
luctum factis æternis dignissimum.) Sed (ô malum bonis satis nunquam de-
plorandum!) sed en subitis velut Terræ motibus excussa, post mille superata pericla, tan-
dem tranquillitati debitæ restituti, tandem Natalis solium illustratis, tandem præmia Vir-
tutis Vestræ. (Honores intelligo) capeshtis. Sinite verò Mæcenates optimi Musam meam
sub Patrocinio vestro adolecentem, nunc in communi πᾶσι τῶν ἁγίων subite elisam, con-
quiescere: sinite his chartæ angustiis vos concludi AMICOS quos suo immortalis bono
conunxerat, sed nunquam rotos cœperat Hungaria? suscipite nomini vestro libatas pri-
mitias Academicas, & tanquam debitæ observantiæ tributum meæ, esto levidense, fronte
forenâ suscipite. Vivite porro Extæris admirationi, Ecclesiæ Christi incremento, ut Vir-
tus Virilis Vestra in dies reflorescat, subolescat.


Vestri nominis cultor

devotus

CHRISTOPH. MAZAR Hung. SS. Theol. & Phil. Stud.



05A 1515



J. N. J.

PROOEMIUM.

Vanta ventorum sit vis, quanta potentia, ut fortissima quæq; invadere, concutere firmissima, pondera viribus humanis propemodum immobilia locum movere, gravissima ferre in sublime, terræq; penitus infixæ evellere valeant, nostris non adeò exponendum verbis, sed experientiæ potiùs, omnium rerum Magistræ, luculento testimonio, quod hoc æquè ad finem vergente anno, comprobavit abunde turbulenta Gallia, infelix Batavia & ex parte mota Germania. Scilicet pervagati fuere venti impetuosisimi oras remotissimas & proximas, ac occuparunt sævitiâ suâ indicendâ, maxima, media, minima, summa misturi infimis. Quod verò liberiores aëris tractum undamq; spumantem supra terram hæcenus exercuit nimium effluvium, idem infestat sæpè numero terræ sinus ac absconditos recessus. Non à vetustioribus ejus rei petenda exempla: publicæ relationes nuper adeò memorandum & ob prolixas adeò continuatas moras stupendum retulerunt in terris disitis. Nec minùs Athanasius Kircherus in præfamine Mundi subterranei sui, cum præsentissimo vitæ dispendio, quem expertus est terræ motum, verbis explicat prolixis. Dabimus publici exercitii gratiâ mentem abstrusiori huic meteorò, pro virili evoluturi rationem ejus quidditativam, causas, nec non adjuncta. Det facilem successum conatibus nostris Numen immutabile!

THEOREMA I.

*Terræ motus est meteorum spirituosum ex efflu-
vio flatuoso, terræ cavernis præter naturam
incluso, exitumq; cum impetu quærente, geni-
tum.*

EVOLUTIO.

§. I.

Nolumus migrare temerè descriptionem, verò conformem & publicâ doctrinâ confirmatam, quam dedit naturæ Interpres fidelissimus B. Sperlingius in Institut. Ne verò ambiguo procedamus tramite, præsupponimus non immeritò, naturalem hîc intelligi motum, qui ex causis surgit naturalibus, ac opponitur supernaturali, causas naturales longè superant. Si verò naturale contradistingvatur violento, non naturalis ille terræ motus est, cum à causa interna haud oriatur, sed potiùs violentus, subortus à causâ externa. Causa interna motus naturalis est forma agens per potentiam naturalem: est in bruto, est in homine facultas loco movens, quæ traducitur ab anima in actum, ut actum primum insequatur secundus. In terrâ nec potentia movendi, nec motus ipse à principio intrinseco, nisi quis cum Copernicæis facere velit statueretq; globum terrenum ex proprio principio moveri universaliter. Quæ sententia jam tum ceu hæretica damnata à Cardinalibus sub Paulo V. Anno 1616. Romæ convocatis, adeò ut Galilæus Galilæi ejusdem sententiæ Magister, ab inquisitoribus generalibus Anno 1633. eam abjurare coactus fuerit, & certam subire pœnitentiâ sustinuerit; quâ in re non confundenda foret affectio corporis, si quæ est, cum ejusdem impressione, proprium consequens cum meteoro. Multò minùs intelligimus motum terræ violentum, totalem ac universalem, qualis accidit tempore passionis Christi, quo juxta Augustinum lib. 2. de Mirab: Scripturæ, undecim Civitates in Thracia sunt everse, & secundum Eusebium ex Phlegone, Scriptore antiquissimo, tradentem, multa ædificia Nicææ, Urbis quondam Bithyniæ clarissimæ, & reliquarum urbium Matris dictæ, corruerunt. De quò graviter æquè B. Sperlingius in Exercit. p. 552. Terræ motus, qui
patiente

paciente & moriente Salvatore nostro contigit, universalis fuit, non igitur naturalibus, sed miraculosis accensendus: Sed partialem ac particularem, ut patebit fufius. ex fequentibus. Vocatur & fubindè terræ concuffio: Græcis audit *σεισμός, σεισμα & σεισις*; Germanis Erdbeben.

§. II. Conceptus communis Terræ Motus eft meteorum fpirituofum, qui definito eft essentialis, unâ cum nomine totam rationem quidditativam ei communicans; eft enim meteorum, quia eft affectio effluviolorum in certa formâ illa repræfentans; eft meteorum fpirituofum, quia ex effluviis fpirituofis ac flatuofis oritur; eft latior, vento infimul communis; eft deniq; proximus, cûm fine interventu alius conceptus communis complectatur definitum.

§. III. Conceptus proprius exhibet (1) caufam efficientem proximam, quæ funt effluvia flatuofa terræ cavernis præter naturam inclufa, exitumq; cum impetu quærentia. (2) Materiam in qua feu Subjectum, quod eft Terra, non *ὅλικῶς* fpectata, fed *μερικῶς*, non enim tota terra, fed pars tantûm ejus certo tempore terræ motu afficitur. Refpiciendum hîc non minûs ad principium agens, quàm patiens; illud funt Effluvia fpirituofa & flatuofa; at non per univerfum terræ tractum dantur uno eodemq; tempore effluvia illa fpirituofa, neq; fimul collecta, neq; fimul pugnancia, ut univerfam terram compositis viribus concutere queant. Hoc eft Terra, quæ ratione existentia fua magnam admittit diverfitatem. Non enim terra eadem (pronunciamq; cum B. Sperling. l. c.) aliæ cavernofæ, aliæ arenofæ, aliæ limofæ, aliæ fungofæ funt; neq; facile terræ motum in arenofis terris habemus, cûm fpiritus ubiq; pateat porta, neq; limofæ exhalationem capere ac colligere queunt. Ex adverfo facilior terra motum patiuntur loca montana & maritima, five quæ fluminibus cinguntur aut alluuntur, porofa & antrofa, in quibus Spiritus & copiofius colligi & fortius agere poffunt. Fidem facit dictis Georgius Agricola l. 2. de ortu & caufis Subterr. c. 17. inq;uens: Loci maritimi & montes præcipuè terræ motibus quatiuntur; quòd abundant venis & cavernis, quas fecerunt rivi fubterranei. Et Keckerm. lib. 6. Syft: Phyf: c. 8. ftatuere iuftinet, nullam effe Europæ partem, quæ frequentiores & graviores terræ motus patiat, quàm Constantinopolin & Bafilæam Helveticorum. Dictis non de-

A 5

funt

Sunt exempla ex historiarum monumentis deducenda: Basilea annis octingentis decies quassata est, ut Anno post Christum natum DCCCI. DCCCXXIV. DCCCXXIX. An. Christi MXXI. quo pene everfa. An. MLXII, MCCCLVI. & LVII. An. MCCCXLIV. & LVI. ac deniq; MDXXXIII. quemadmodum Benedictus Aretius probl. 172. ex Münstero, Stumpfio & aliis annotat. Sic Constantinopolin Anno Christi DLIV. diebus 40. & Anno DCCCXL. 12. continuis mensibus adeoq; per totum annum tremuisse; eandem urbem gravissimos terræ motus passam esse Anno Salvatoris DCCCCXXCVI. MXXXII. MLXIV. MCCCXC. & iterum MDIX. Procopius, Funccius & Nauclerus memoriæ prodiderunt. Quin imò & recentioribus ætatibus gravissimos terræ motus expertam esse, graviter testantur Augerius, Gislenius ac Busquevius. Interim non negamus loca etiam solidiora terræ motui nonnunquam, licet nō adeo frequenter, obnoxia esse: Sic Anno Christi Salvatoris MDLXXII. Borussia terræ motum passa est. Eundem experta est Polonia Anno MCC. quo plurima ædificia everfa sunt. Imò nec Sveciam, nec Daniam & quæ sunt cætera loca, hoc malo planè caruisse historiæ testantur. Spatium verò, quod terræ motus conficiat & cursu suo absolvat, determinare arduum est ac difficile. Seneca lib. 6. Nat. quæst: putat, nunquam per 100. milliaria motum extendi. Et B. Sperlingius in Exerc. l. c. inquit: Magnus terræ motus habetur, qui ad 30. & 40. milliaria Germanica extenditur, maxima enim spirituum copia ad agitationem illam requiritur.

§. IV. Forma propriè terræ motus non datur; cum ipse potiùs sit forma accidentalis, & formaliter spectatus, affectio. Si rationem verò habeas formæ extrinsecæ, absolveretur potissimum violentâ effluviorum spirituosorum in terræ cavernis latitantium eruptione ac tremenda terræ concussione, in quem modum vel ipse vates Ovidius cecinit:

Vis fera ventorum, cœcis inclusa cavernis,
 Exspirare aliquò cupiens, luctataq; frustra
 Liberiore frui cœlo, cum carcere rima
 Nulla foret toto, nec pervia flatibus esset,

Exten

Extentam tumefecit humum, ceu spiritus
oris
Tendere vesicam solet.

THEOREMA II.

*Causa Terræ motus Efficiens universalis prima
est DEus gloriosus; secunda eaq; remota sunt
Stella; particularis & proxima Effluvia spi-
rituosa; Finis proximus spirituum incluso-
rum exitus, ultimus Gloria DEI.*

EVOLUTIO.

§. I.

CAusa Efficiens Universalis Prima DEus est, qui fundamenta totius orbis terrarum tremere facit, & de loco suo movet 2. Sam 8. 22. 8. qui terræ molem attollere, eamq; si quando voluerit, etiam transferre potest, Exod. 19. Ps. 97. Neq; tamen cum Danæo Part: 2. Phys: Christ: Tr. 2. c. 19. statuendum temere, DEum solitariam esse causam omnium meteororū & consequenter etiam Terræ motus: quia potius concursus Solis aliarumq; stellarum, tanquam causæ universalis secundæ & remotæ concedendus insimul: ubi si ex mente Astrologorum agendum foret, causalitatem cum maximè exereret hic infaustus ille trium Planetarum superiorum, Saturni, Jovis & Martis aspectus, Saturnus potissimū cum Sole conjunctus: alii Jovis & Martis malos aspectus signis motus terræ annumerant: alii Eclipses æquè Lunares multum ad Terræ motum facere arbitrantur. Quæ signa pro incertis habet Bartholinus Phys: p. 136.

§. II.

§. II. In reddenda Terræ motus causa particulari & proxima maximum deprehendimus Veterum & Recentiorum Philosophorum dissensum. Rejicienda primùm falsitas; urgenda postmodum Veritas & adstruenda. (1) Non terra ipsa causa sui motus, contra Anaximenem statuentem, *intra ipsam & ex seipsa quasdam partes ex se decidere, quas aut humor solverit, aut ignis exederit, aut spiritus violentia excusserit. Quia quod omnia labuntur, nec quicquam tutum à senectute est? hac solida quoque & magni roboris capit. Itaque quemadmodum in aedificiis veteribus quadam non percussa, tamen decidunt, cum plus ponderis habuere, quam virium; ita in hoc universo terra pondere evertit, ut partes ejus vetustate solvantur, soluta cadant, & tremorem superioribus afferant. Vid. Sen. 2v. Nat. c. 10.* At terra naturaliter non vergit ad senium, nec sponte minuitur ruinam, multò minùs activè in hoc motu se habet, sed magis passivè, cum concutiatur ac evertatur, non concutiat ac evertat. (2) Non aqua, contra Thaletem Milesium, unum ex septem Græciæ Sapientibus, ductum hâc ratione, *quod in omni majori motu erumpant ferè novi fontes; nec non Democritum, aqua iungentem spiritum. Vid. Sen. l. c. c. 7.* Verùm tanta mira atque subita crassa aqua præstare non potest. Vid: Fromondus l. 4. Meteorol: c. ult: Art: 1. adstruens, *subterraneam aquarum fluctuationem tantæ concussioni esse imparem.* (3) Nec aër cavitatibus terræ inclusus & sursum nitens, cum tanta copia aëris non latiret in terræ cavernis, quanta requiritur ad terræ motum: concomitatur quidem aër terræ motum, cum sine aëre non fiat, non tamen ab aëre est. (4) Neque ignis contra Anaxagoram, referente Seneca l. c. c. 9. & 11. & qui sunt alii, reputantes animis suis, ignem invadere obvia, sævire longè lateque, quærere exitum, ut per angusta tandem ad angusta eluctetur. Damus ingentem in cavernis terræ copiam ignis habitare, ut patet ex montibus ignivomis: negamus verò ignem migrare sedes suas, terrasque propellere vicinas; neque in terra concussa ignis semper aut fumus deprehenditur. Multò minùs (5) Cacodæmon, contra Bodinum in Theat. Philos. l. 2. p. 178. dicentem, *Geniorum seu Demo-*

monia

num ope fieri, ita tamen, ut nihil moliantur injusti: quo
fit, ut nec procella, nec terrarum labes ordinarias & na-
tura congruentes habeant causas & affectiones. Etsi ve-
rò terras perambulet Satan, non tamen ex se sine nutu divino
motum excitare valet, nec proxima ejus causa est. Accedere
videtur huic sententiæ Joh: Baptista Van Helmont Tr. de ter-
ræ tremore sub finem statuens, causâ terræ motus esse Ange-
lum; probatur hoc ex Matth. 28. 2. & ecce terræ motus factus
est magnus; Angelus enim Domini descendit de coelo.

§. III. Proxima itaq; motus hujus causa sunt Effluvia
spirituosa terræ visceribus inclusa; seu juxta verba Alstedii
in Encyclop. 1. 13. Part. Phys. 3. c. 13. p. 715. *Spiritus subterraneus.*
Quod probare ingredimur, secuti Aristotelem lib. de Mun-
do, c. 4. & 2. Meteor. c. 7. tum à natura spirituum, tum à tem-
poribus, quando fiunt, tum à locis, ubi excitantur, argumen-
ta ducentem (1) ab Experientia, quæ factâ terræ concussione,
ventos exhibuit immanes, ex hiatus terræ ad liberum aëris
campum transeuntes. (2) A spirituum proprietatibus, quales
sunt *Levitas*, quâ superiora appetunt loca naturâ, & per po-
rosam terram egrediuntur pedetentim, per solidiorem verò
erumpunt viribus collectis: *Subtilitas*, quâ percurrunt
celerrimè obvia & permeant velocissimè: *Virtus maxima* su-
perans vires elementares. (3) Ab Exemplis, uti enim in cor-
pore humano spiritus grassantur cum magno mugitu; uti il-
li in corpore humano tremorem pariunt, nervorumq; con-
tractionem: uti pulvis pyrius exitum quærit cum impetu,
quassans fortissima etiam mœnia & tures: ita spiritus hi tu-
multuantur in terra, efficiunt tremorem, & maxima cum ve-
hementia erumpunt. Conf: de vi pulveris pyrii Oratio
Lansii pro Germania, citata à B. Sperlingio in Institut: ad
Præc: IV. qvi & in tract: de Subtilitate graviter in hanc rem:
*Rapas qui comedunt, flatu habent. Habent eosdem,
qui fabas & castaneas assumpserunt. In terra motu tremunt i-
psum orbis fundamentum, suntq; ruptura & edificiorum
& civitatum ruina, profecto non ab aëre, sed spiritibus,*
B quorum

quorum potestas maxima. Et Aristoteles ipse l. 2. Meteor:
c. 8. Oportet etiam intelligere, quod sicut in corpore no-
stro & tremorum & pulsuum causa est spiritus, qui inter-
cipitur; sic & in terra spiritum similia facere putan-
dum.

§. IV Origo illorum spirituum à diversis diversè tra-
ditur: Aristoteles 2. Met: 01: c. 7. statuit, *oriri terra motum*
ab exhalationibus calidis & siccis intra viscera inclusis
& foras exire contendentibus, vel à frigore se defensuris,
ac huc illucq; ruentibus: quem sequitur pressè Carolus
Franc: Dábra de Raonis in Summa totius Philos: p. 179. statu-
ens subinde, *ignem in terra antris inclusum dici posse cau-*
sam Efficientem Terra motus. Sic Vosius l. 2. de Orig: &
progr: Idol: c. 63. fatetur, *terra motum ab ignibus subterra-*
neis provenire, qui saepe subsunt maris fundo ac montium
insularumq; radicibus, profundeq; adeò latent, ut longè
lateq; maximas & plurimas contendant regiones. Ab
ignibus his exhalat spiritus sulphureus, unde & de his cen-
te terrâ, ignes emicant. Cui accedit Systema Phys: Go-
thanum l. 3. Part: Spec. c. 3. p. 331. deducens exhalationes cras-
sas, calidas & siccas in terra ortas (1) ex operatione siderum,
(2) ab ignibus subterraneis, (3) quando ventus in terram se de-
jicit, & foramen, per quod ingressus erat, obturatur; cujus-
modi obturatio diversis fieri potest modis, tum ab aquis &
pluviis, tum à soliditate saxorum. Consentit etiam Ray-
mondus Mailhat Tom: 3. disp. 8. p. 363. Alstedius l. c. gene-
rationem spirituum subterraneorum duplicem ponit:
Magna, inquit, ejus pars est ab ignibus subterraneis:
dein exhalatio superne terram ingreditur, alteriq; quæ
ab ignibus subterraneis ascendit, confunditur ac permi-
scetur: saepe etiam alterutra sola facit terra motum.
Scilicet pronunciamus ad ea, Elementa nuda præcisè, in se &
ratione essentiæ spectata, non sufficere ad terræ motum, fa-
cere

cere verò ad eū ratione existentiae quā spiritibus prædita; non effective sese habent adeò, quin potius subjective: nec proxima causa vices subeunt, quin potius remotioris. Eadem manet origo terræ motus, quæ est venti, eadem causa. Non neganda enim hinc vaporum copia, effluvia sulphurea, interdum nitrosa.

§. V. Proximus finis est Egressus spirituum; ille enim est processus totius rei: Spiritus præter naturam sunt inclusi carceribus, tumultuantes hinc & inde; terra renititur ac reagit in hostem: Spiritus superant renitentem terram, & impetu facto, egrediuntur. Ultimatus est Gloria DEI; cum non minus potentia DEI stupenda, quàm justitia adversus incolarum flagitia erumpat hinc in actus luculentos. Vid: Nah. 15.

THEOREMA III.

Dividitur Terræ motus in Simplicem, qui est Tremor vel Pulsus, & Compositum.

EVOLUTIO.

Species terræ motus apud Damasc. sunt septem: (1) Episcientes seu inclinator, qui superposita mole navigii in unam partem inclinat. (2) Brastes seu effervescens, qui terram angulis rectis identidem attollit in aliam & deponit. (3) Chasmatias, qui hiatus aperit. (4) Rhectes, qui viam effringit vi. (5) Ostes, qui uno impulsu evertit, in quod incubuit. (6) Palmatias, qui vibrat. (7) Mycetias, qui cum mugitu venit. Quem sequitur Aristoteles l. de

Mundo c.4. & Bodinus in Theat.Nar.lib.2. Censor Jacchæi
 Inffit: Phys: l.7. c. 15. quatuor tradit species, nim:
Tremorem, Concussionem, Arietationem, Inclinationem.
 Cardanus inquit: *Concutitur terra tribus modis, (1) in-*
clinatione, (2) succussione, (3) vibratione. Vibratio
periculo vacat: Inclinatione verò ruina est pedis-
sequa. Succussio omnis aliquid habet majus simplici ictu.
 Cumulantur Entia præter necessitatem, nec verè & proprie
 dictæ species traduntur. Nos legentes vestigia B.Sperlingii,
 terræ motum dividimus in Simplicem, iisq; vel Tremor,
 qui est agitatio terræ in latera, ubi illa modò in hanc, modò
 in illam agitur partem, indeq; ædificiorum habetur ruina.
 Vel Pulsus, qui est agitatio terræ ex imo, ubi illa sursum de-
 orsumq; movetur, ingentiq; hiatu dehiscit, ut profunda ap-
 pareat vorago. Et Compositum, cùm terra non unâ eâ-
 demq; agitur ratione, sed ob contrarios effluviorum impe-
 tus & in longum & in latum percutitur. Eadem leguntur
 verba specierum in Syst: Phys: Goth. Expertus non sine
 discrimine vitæ diversos hos motus Kircherus in Præfamine
 nominatus.

THEOREMA IV.

Adjuncta Terræ motus sunt vel Antecedentia, vel Concomitantia, vel Consequentia.

EVOLUTIO.

S. I.

Signa Prognostica Terræ motus imminentis ex Arist: Pli-
 nio, Seneca, deduxit Beatus AVUS, D. Jacobus Mar-
 tini

ini in differt: Publ: An. 1615. habitâ, Probl. 3. Quælia sunt
(1) ratione coelestis regionis: Si sol caliginosus & obscurior
seu fulgore hebetiore appareat, nullâ tamen nube obductus:
tum enim ventus in terram se recipere incipit, qui aliàs mo-
tu suo aërem dissolveret, dissiparet atq; purgaret. (2) Ratione
elementaris regionis, cum nubecula tenuis, longa & exqui-
sitè in rectum ducta sive interdiu, sive post Solis occasum se-
reno cœlo apparet; denotat enim ea ventorum & vaporum
in terram demigrationem. Qualem conspectum refert Phi-
lippus Beroaldus in illo terræ motu, quo tota Bononia An-
no 1505. concussa fuit. Magna præterea aëris tranquillitas
& acce frigus, tum enim venti nondum ex terra exiverunt,
vel in terram rursus refluxerunt. Idem factitatum esse nar-
rat Seneca l. 5. Nat: Quæst: c. 12. ante eum terræ motum, qui
Neronis temporibus in Campania accidit. Aqua, ventis
silentibus ebulliens, præsertim in mari. Spiritus enim, mo-
lientes distillationem, mare commovent, & deniq; in terram
revertuntur. Hinc fit, ut aquæ minores, fontes & rivi præ-
ter solitum saluginem contrahant; ideoq; Phærecydes Py-
thagoræ Magister ex haustu aquæ puteanæ sensit & prædixit
Lacedæmonis, totius Urbis ex terræ motu ruinam, referen-
te Plinio c. 79. l. 2. (3) Ratione brutorum, volucres eum qua-
drupedibus plerisq; pavida solo insident, & novas sedes
quærent, cum aves ob corporis constitutionem subtilem fa-
cilè persentiscant vel levisimas alterationes, ut videre est in
gallis. Idem dicendum de animantibus in terræ cavernis
agentibus, ut muribus. Imò Gisbertus Voëtius disp. Se-
lect: part: 2. p. 133. analogiam instituit inter aves avolantes
ante ruinam domus, & migrantes mures ac glires ex ruino-
sa domo & jamjam collapsura vel ex vetustate vel ex terræ
motu. *Quod si res ipsa explorata statueremus, effluvia
præsentissima spirituosæ & flammosæ terræ ca-
vernæ præter naturam inclusa, exitumq; cum impetu
quærentia, muribus cæterisq; animantibus in terræ ca-*
B 3 *vernæ*

vernīs latitantibus, exitum ē pristinis sedibus imperare, eaq; receptaculis antiquis ejicere: inquit Præcell: & Præclariss. Dn. M. Frenzelius, Ampliff: Fac: Phil: Adj. in Disp. Publ. de rerum futurarum præfensione naturali. Conf: de his Prognost: Car. Franc. Dábra de Rac. l.c. Sperling. Instit: l.c. ad Præc. IV.

§. II. Concomitantia sunt horreni mugitus ac rugitus; cujus rei exemplum & rationes adduxit famā immortalis Naturæ Mysta Instit: qv. i. super hoc cap. inqviens: *Ut omnis sonus, ita & hic arguit fractionem aëris, dum enim Spiritus ex angustiōribus terra cavernis erumpunt, aërem interceptum collidunt ac frangunt, sonumq; ac fragorem illum excitant. Non secus ac ex amphora, ventre amplo prædita, vox auditur terribilis. Vel sicut cum pueri spiritum inflant dolio, sonus tam horrendus excitatur, ut terreantur prætereuntes.* Variat tamen subinde sonus: gravis est, cum per meatus amplos spiritus tumultuantur & grassantur. Acutus, si sint subtiliores; claustra item terræ sicciora & angustiōra. Raucus, sicubi ex humidis & stagnantibus procedunt antris. Gemebundus, cum tremulo more modoq; per anfractuosa foramina exhalant subsilientes quasi & resultantes. Fremebundus, si spiritus sint quodammodo crassiores & per loca dura, densa solidaq; eant. Remissus, si tardius & debilius secatur aër: Varius, cum aër à spiritibus variis diversimodè scinditur: Terribilis ob ingentem copiam halituum, ampliora & recurva loca per currentium.

§. III. Consequētia Terræ motus evidentiora sunt Hiatus terræ & scissuræ in terra fundatorum ædificiorum, exsiccatio fontium & fluminum, eorumq; transpositio in alia loca, depressio montium, ventorum ortus. Probabilia sunt: secutura pestis vel contagium ob halitus in majori copia egressos, ut patet ex exemplo Campaniæ concussæ, in qua 600. oves subito interfectæ sunt. Sic Anno Urbis conditæ


ditæ CCCXIX. terræ motū horrenda pestis excepit, quā (re-
ferente Svetonio) ad trienniū durante, triginta millia homi-
num Romæ perierunt. Anno Christi CXXXVII magna lues
multas provincias devastavit, maximè verò Italiam, quam
adeò afflixit, ut passim villæ, & agri sine cultore manserint.
Lycosth. Anno Christi MCCCXLV. terræ motus, Venetiis
omnibus ferè gravidis mulieribus abortum causatus, fœdis-
simam attulit pestilentiam, ut ex omni laborantium numero
vix centesimus quisq; mortem effugerit. Conf. Append. ad
rerum Venet. Histor. Petri Justiniani fol. 61. lapidifactio: Sic
Aventinus lib. 7. Annal. Bavariæ refert, *Anno 1343. ex ter-
ra motu plures quàm 50. rusticos, item mulgentes cum
vaccis extinctos diriguisse, & corpora cum spiritu ter-
reno in salinas statuas redacta fuisse.* Motus bellici nun-
quam enim Roma tremuit, ut non futuri eventus alicujus
id prænuncium esset, memorante Plinio l. 2. H. N. c. 84. Sic
cum Anno Mundi MMDCCLII. Rhodus insula terræ
motu concuteretur, paulò post (*meminit Lycosth.*) Jugur-
tinum bellum exoriebatur. Sic Anno Christi CCCCLV. hor-
rendas Attilæ vastationes insignis terræ motus præcesit.
Funccius. Sic & post terræ motum illum, qui Anno Christi
MXXCI. cum terribili mugitu factus est, bellum Henrici
IV. Imperatoris, quod gesit contra Gregorium VII. Papam,
exarsit, quo incendio universa Italia passim devastata est.
Sicut memoriæ prodiderunt Sigebertus & Ursperg. Simi-
liter bellū Leopoldi contra Helvetios Anno MCCCXXCIV.
antecessit, & post gravissimos terræ motus in Austria, Mo-
ravia, Bohemia, Misnia & alibi Anno MDXC. factos Turci-
cum bellum in Hungaria gravius exarsit. Prolixius illa
deducit citatum Syst: Phys: Goth. effectus traducens sequen-
tes: (1) *adificia terra concussione prosternun-
tur.* (2) *Montes in plano excitat terra motus: Sic Anno
1538. in Agro Puteolano Mons altitudinis integri milliaris
excitatus fuit, qui ideo novus appellatur.* (3) *Montes*
sup.

*supprimit, cum enim terra motus rumpit & effringit
 terram, non montes solum, sed etiam integras urbes in-
 terdum absorbentur: (4) Terras coherentes terra motus
 dividit. Hoc modo Britannia à Gallia, Africa ab Hispa-
 nia, & Sicilia ab Italia avulsa putatur. (5) Montes, edi-
 ficia, arbores in alium locum transfert. (6) Novae aquarum
 scaturigines, fontes, flumina exoriuntur, vel etiam con-
 trà exsiccantur; ratio est, quia terra motus veteres ca-
 nales, quiaquam effundebant, recludit, ut aqua alio loco
 ex montibus erumpat: (7) Mare in miram altitudinem
 intumescit, sursum enim pellitur ab exhalationibus. (8)
 Aqua antea frigida post terra motum calida sunt; con-
 trà autem tepida quandoq; frigida evadunt. (9) Post ter-
 ra motum sepiissime pestis oritur. Ratio est, quia exha-
 lationes, quae sunt causa terra motus, sulphure suo aliisque
 qualitatibus sepe lethales sunt; vel etiam aer in cavernis
 aut perpetuà quiete, aut culpà terra corruptus, dum fa-
 cto hiatu, aut saltem laxatis terra poris cum exhalatio-
 nibus evebitur, causa hujus morbi esse potest. Conf. eti-
 am Ammianus Marcellinus l. 17. Majorus Diebus Canicul.
 Colloq. i. p. 43. seqq. Sed plura persequi tum instituti ratio
 prohibet, tum pagellarum angustia. Quare hic pedem figi-
 mus, Deum Teropt. Max. summum terræ motuum Recto-
 rem, calidissimis fatigantes precibus, ut Patriam nostram
 vicinasq; regiones non tantum ab ejusmodi funestis terræ
 motibus, ut haecenus, ita & impofterum immunes servare;
 sed etiam, ut Princeps pacis, bellicos motus à Patriæ fini-
 bus clementer avertere, inq; Principum animis motus
 toti S. Rom. Imperio Ecclesiæq; afflictissimæ fa-
 lutares excitare ne dedignetur.!*

SOLI DEO GLORIA!







ΖΟΥΑΖΟΥΑ!
DISPUTATIO METEOROLOGICA
De
TERRÆ MOTU,

Quam
PRÆSES
M. GEORGIUS FÖRSTERUS,

Kembergâ-Saxo,

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO MAZAR,
Hungaro,

Publico Φιλοσοφῶντων examini
submittit

Ad d. XXIII. Decembr.

Ann. M. DC. LXXIV.

IN AUDITORIO MINORI.



WITTEBERGÆ,
TYPIS JOHANNIS WILKII.

